Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8282
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

Aug. in libro de ci. dei exclamans
dicit O celestis ierusalem domus illu-
sa ad te suspirat peregrinatio mea
et possideat me in te. Ber. in libro
sup. cantica est O quam gloriosum est illud
regnum in quo reges congregati con-
venerunt in unum ad laudandum scilicet et
glorificandum eum qui super omnes est rex
regum et dominus dominantium. De cuius sple-
didissima contemplatione fulgebunt iusti
sicut sol in regno patris eorum. Unde
psalmista dicit Adimplebis me leticia
cum vultu tuo. Unde Job 33 Videbit
faciem eius in iubilatione. Hanc faciem
omnes inspicient qui domino fideliter ser-
viunt in humilitate cordis et labo-
ribus plurimis et operibus virtuosis.
Unde apoc. ult. Servi eius servient
illi et videbunt faciem eius. Et Ysa. de-
cimo 33 Regem in decore suo videbunt.
O quam pium et gratum quam suave
quam bonum erit Jhesum iam videre
hiis qui eum dilexere. Et certe ex-
clamando dicere illud Abacuk 3o
Ego autem in domino gaudebo et exul-
tabo in deo Jhesu meo. O quam
gaudebunt quos gaudia summa reple-
bunt. Quos illustrabit quos semper
letificabit visio sancta dei splendor
sue faciei. De multiplici bonorum
copia regni celestis. Sequitur

Regnum celeste 2o commendatur
a bonorum omnium copiositate
Unde Aug. in libro de ci. dei
Quod deus preparavit diligentibus se
spe non attingitur caritate non deprehe-
ditur desideria et vota transgreditur
acquiri potest estimari non potest.
Item Bernardus. Civitas sanctorum tam
magna est quod non potest mensurari tam
multa quod non potest numerari tam copiosa
quod non potest finiri tam preciosa quod non
potest estimari. De hiis superhabundantibus
bonis et diviciis ipsius regni celeste
ita scribitur Deut. 8. Dominus deus tuus
introducet te in terram nemorum
aquarum et fontium in cuius campis et
montibus erumpent fluviorum abyssi
terram frumenti et olei et vinearum
in quibus ficus et malagranata et
oliveta nascuntur terra olei et mellis
ubi absque ulla penuria comedes
panem tuum et rerum omnium habundancia
perfrueris. Certe hec est terra fertilis
copiosissime lacte fluens et dulcedine
mellis hec est terra ad quam explora-
ndam missi sunt filii Dan sicut
scribitur Judic. 18 qui redeuntes di-
xerunt vidimus terram opulentam
et uberem nolite negligere nolite
cessare eamus et possideamus eam
nullus erit labor tradet enim dominus
nobis locum in quo nullius rei est pe-
nuria. Ubi omne quod molestat
ibi deest et omne quod delectat ibi
adest. Unde Aug. Secura beatitudo
consistit in duobus scilicet in necessaria
absencia omnis mali et necessaria
presentia omnis boni. Si enim queris
quid est ibi dici non potest videri
nisi quicquid boni est ibi est
et quicquid mali est ibi nusquam est.